

§. 1. Ut vero inconvenientiae illae, quae superioribus Annis circa rem Annonariam contigerunt, praecaveantur et defectibus futuris succurratur:

§. 2. Statutum est; ut de singulis viginti quinque Portis dicari solitis, singuli currus seu plaustra bona et labori ac vecturae apta, administrentur ex singulis Comitatibus, quibus juncti sint quaterni equi, aut sex boves: Pro diurna vero mercede, Dominus Generalis Magister Annonae, in exercitu constitutus, dabit in singulos dies singulum unum Tallerum pro vectura, computando ab eo die, quo quisque currus victualibus oneratus fuerit; etiam numerando dies illos, quibus ad requisitionem Magistri victualium in castris detentus fuerit.

§. 11. Idem fiat in Sclavonia, si necessitas postulaverit.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM IX. ANNI 1598.

De Regni Sclavoniae auxiliis: Deque redditu colonorum ad campum Turopolensem et alia loca: Ac de poena eos delinentis.

A r t i c u l u s 33.

Sclavonia in sui defensionem pro sua possibilitate per domos feret auxilia pro sua veteri consuetudine:

§. 1. Et ibi quoque, tam de Hajdonibus, quam de exercituandi modo; supra constituti Articuli serventur.

§. 2. Coloni praeterea e campo Turopolensi; nec non ripa Savi, Colapis et aliis Partibus propter Turcarum metum his disturbiorum temporibus profugientes; libere redire possint, si voluerint.

§. 3. Si quis autem Dominorum, aut Nobilium, aut etiam Civium, eis viam redeundi praecluderet; tales coloni modo et ordine fugitivorum colonorum in Articulis Anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi sexti expresso, *) repeti possint:

§. 4. Non dimittens; eandem poenam incurrat, quam fugitivum colonum detinens.

RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM X. ANNI 1599.

Subsidium duorum florenorum Ungaricorum de singulis domibus pro conductione decem millium armatorum hominum, in duobus terminis exigendum; oblatum.

A r t i c u l u s 6.

Quantum ad subsidium praesentis Anni, pro continuatione belli contra hostem suscepti, attinet:

§. 6. In Sclavonia, ducentos equites et sexingentos pedites.

*) Signantur art. 28. et seqq.